

D. O. M. D.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

MORALITATE
LUDORUM ALEÆ,

CUJUS

PARTEM POSTERIOREM

EX CONS. AMPL. FACULT. PHIL. IN REG.

ACAD. ABOENSI,

PRÆSIDE

MAG. JOHANNE BILMARK,

Histor. & Philosoph. Pract. Profess. Reg. & Ord.

PRO GRADU

ventilandum exhibet

SVENO BRENDING,

Westrogothia,

In Auditorio Majori Die XVII. Junii

An. MDCCCLXXXII.

H. A. M. C.

ABOÆ

Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKELL,

Råd- och Handelsminnen i Borås,
Ådel och Högakad,
Herr ANDERS BRE丁ING
Samt
Erlu JOHANNA CATHAR. FASTBERG,

Mine Huldasie Föräldrar,

Hur skal jag Er min wördnad wisa,
Hwars minsta åmne är, at I mig lifvet gedt,
Hur skal jag Er omvärduad prisa,
Som mina fåt på dygdens bana ledt:
Den ringa skänck jag Er här gifwer
Ersäfter ej Er godhet på långt när;
Men dock et wedermåle blifwer
Utaf den tacksamhet, hwarzmed jag stådse är

Mine Huldasie Föräldrars.

Lydigste son
SVEN BRE丁ING.



§. IX.

Per ludos quoque aleæ habitum sese insolenter erga alios gerendi sensim contrahunt sodales. Ponimus enim ludos hos tales, quales plerumque sunt, non quales mente concipi possunt: spe igitur lucri obtinendi formantur societas aleatoriæ; quocirca lusor quivis non admodum curat dignitatem sociorum, latus, quod nonnullos inveniat, satis opulentos ut possint, & satis temerarios ut velint, bona sua aleæ committere. Si igitur contingat, ut juvenem, e pulvere schola stico egressum, comitetur opinio, quod ingentes opes vel possideat, vel post aliquod temporis spatium certo sit habiturus, hic in circulos elegantiorum societatum protinus cooptatur, invitatur ad convivia, ab acis denique lusoriis propositis cernit se adæquare viris, quos propter munerum præstantiam vix e longinquo suspicere, ingenua sua nuper ausa fuit simplicitas. Crescit hoc modo imperiti juvenis animus, qui sibi imprudenter tribuit honorem, quem socii oibis ipsius tantummodo deferunt: atque pari cum cæteris

teris inter ludendum jure gaudens, multa sibi contra honestatis & decori regulas subinde permittit; veniam tamen haud difficilem invenit, siquidem multas easdemque fatis insignes suae petulantiae ante penderre soleat, quam abacum relinquat. Eninvero haec inter ludendum contracta arrogantia in consuetudinem abit, adeo ut in aliis quoque negotiis æque impotenter se ferat erga eos, cum quibus aliquod commercium ipfi intercedit, atque aleæ socios excipere consuevit. Quem itaque puerum omnes ob modestiam in schola amarunt, eundem adultum & muneri cuidam admotum ob ferociam & austерitatē vix ullus amplius ferre potest.

§. X.

Quilibet qui non est vel animo prorsus abjecto vel indole adeo feroci, ut aliorum hominum de se iudicia non curet, omnem impendit operam, ut, si non eximiam inter cives suos consequi possit famam, integritatis tamen ac probitatis opinionem retineat. Est hoc etiam Juris Naturalis præceptum, ut unusquisque existimationem suam conservare annitatur. Qualis autem, quæso, est celebris aleatoris existimatio? Profecto aut deflorata, aut valde ambigua. Nonnulli enim, quibus cum nullum ipfi intercessit negotium, dico monstrant Polydorum, (licet ita aleatorem nuncupare) ut hominem, quem non sua virtus sed fortuna reddit notabilem, qui ex alienis infortuniis ditescit,

& ne-

* * 5 *

& nemini benefacit: alii, & hi sunt, quorum pecunias obtinevit, contendunt, quod nee fortunae, nedum ingenio aut peritiæ, sed artificiis quibusdam, quæ indagare non potuerunt, suum in ludendo debeat successum: alii denique & hi sunt, quibus inter ludendum semel iterumve succubuit Polydorus, adseverare non dubitant, ipsum, quamvis male audiat, esse virum bonum & dignum, cum quo etiam in tenebris quis micet. Tandem æqui rerum æstimatores opinantur, Polydorum esse noxium civitatis membrum, quippe qui imperitorum juvenum bona strangulet, & mores corumpat, talem proinde cuius consortium, quilibet salutis suæ non incurius effugere debeat. Si nistram opinionem aleatoribus inde ab antiquissimis retro temporibus adhaesisse, vel ex Cicerone discimus, qui licet non improbet ludos ac jocos, dum post exantlatos labores animi iisdem reficiuntur (*a*); attamen hæc delectationum genera ad ludos aleæ non extendit. Constat enim, ipsum Marco Antonio Consuli, in medio senatu sedenti, graviter objecisse, quod *Licinium Denticulam, collusorem suum, qui non dubitaret in foro alea ludere, tunc autem lege, quæ de alea est, condemnatum, in integrum restituere vellet* (*b*). Immo sequenti factum est tempore, ut illi, qui ludis aleæ maxime delectarentur, nomen tamen aleatorum detestarentur. Discimus hoc ex Ammiano Marcellino: *Quidam, inquit, aleotorum vocabulum declinantes, se cipiunt appellari tesserarios, inter quos tantum differt, quantum inter fures & latrones* (*c*).

* * * * *

(a) *Vid. Libr. I. de officiis cap. XXIX.* (b) *Vid. Oration. Philipp. II. C. 23.* (c) *Vid. Libr. XXVIII.*

§. XL

Sicuti ad vigorem tam animi, quam corporis, plurimum confert æquabilis animus; ita sortem illius merito censemus infelicem, qui intra exiguum temporis intervallum in se experitur continuas intensissimi cum gaudii, tum doloris vicissitudines. *Enimvero* in hoc affectuum æstu, nunc huc, nunc illuc fluctuat Polydorus, qui proinde quam multas patiatur ægritudines, etjam dum has scite dissimulat, quisque facile animadvertisit. Docet sane experientia, quod aleatores plerumque melancholia laborent. Atque non præter rarioriem quæri potest: annon Polydorus, cuius conscientiam nondum penitus occalluisse ponimus, exprobrationes quasdam in suo pectore, qualemcumque alea habuerit exitum, persentiscat? Si enim secunda inter ludendum usus sit fortuna, collusorum bonis iniqua & legibus prohibita ratione suas auxit opes; quos proinde ad miserrimam sæpe redigit conditionem. Hi autem imprudentiae suæ pœnas ita luentes, quum honestis vitam sustentandi modis non sunt adfulti, ultima quævis & sibi aliisque funesta sæpe tentant, ut ex difficillimo hoc labyrintho sese expediant. Hæc autem sodalium infelicitas parum forte movet Polydorum, qui paratas habet plures excusationes: quod cæteri collusores aleæ non coacti, sed spon-

* * * * *

sponte sua sese commiserint: quod volenti nulla fiat
injuria, & quod singuli æquali periculo suas exposu-
erint pecunias. Sed calvæ admodum hæ sunt excu-
sationes: collusores enim, si sapient, non volunt id,
quod in aleæ ludo ipsis accidit, sed hujus contrarium;
adeoque voluntas ipsorum est quam maxime ægra,
quippe quæ vanis regitur præsumptionibus, nec placi-
dæ obtemperat rationi; quin vero ita volenti fieri pos-
sit injuria, tanto minus erit dubitandum, quod ex te-
nore juris naturalis, non solum alterum injuria affi-
cit, qui ipsum lædit, sed etiam is, qui, quam potest,
non avertit eas occasionses, quibus alter in casses in-
felicitatis per suam temeritatem incidere posset (*a*).
Aut hæc discriminâ, in quæ collusores sui præcipites
ruunt, considerat Polydorus, aut eadem, lucro inten-
tus suo, parum curat; in posteriori casu humani-
tatis sensum exuisse videtur, in priori exprobationes has-
ce judicis, & pecuniis & sophismatibus falli nescii, intra-
se experietur: tu tamen auctor es, quod ille, quon-
dam tuus sodalis, jam ad incitas sit redactus; in opi-
bus aliorum tibi vindicandis usus es modis, quos jus na-
turæ improbat & leges civiles condemnant. Si de-
nique fortuna Polydorum destituat, exiguo temporis
spatio jacturam faciet bonorum, multis curis ac per-
tinacibus vigiliis collectorum; quorum reparatio quum
sit incerta, furiis miseri status die nocteque torquebi-
tur.

§. XII.

(*a*) *Vid. Ciceronis libr. de Officiis Cap. VII.*

§. XII.

Ne autem atriori, quam par fuit, carbone statum Polydori adumbrasse videamus, sicutamus nebis ipsum ludo aleæ, in quo est contentio de magnis pecuniarum summis, occupatum, ponamus vero, quod omnia conamina praeter spem & opinionem ipsi infeliciter cedant; quantum-ne exacerbatur, quam scintillant oculi, trement membra, quam saepe extra se rapitur, quam longam maledictionum seriem in chartas & in fortunam evomit? Ne dicam, quod oculis & manibus elevatis Divinæ Providentiae quasi insultare videatur, præfertim si cholerico sit temperamento. Turbidum feminarum, ludo aleæ cum distinentur, statum graphicè depingit illustris Auctor Litterarum Persicarum: *j' ai, vu souvent neuf ou dix femmes, ou plutôt neuf ou dix siècles, rangées autour d'une table; je les ai vues dans leurs espérances, dans leurs craintes, dans leurs joies, sur-tout dans leurs fureurs; tu aurois dit qu' elles n'auroient jamais le tems de s'appaiser, & que la vie alloit les quitter avant leur désespoir: tu aurois été en doute, si ceux qu' elles payoient étoient leurs créanciers, ou leur legataires. (a).* Si subitaneo huic ac violento affectuum aestui, quem ludi aleæ solent excitare, addamus longam temporis moram, qua aleatores abaco adsident lusorio; mirum non erit, si humores corporum, ex ultraque causa corrupti, materiam plurium morborum præbeant. Observatum igitur fuit, quod Hispani, qui præ

præceteris populis in ludos propendent memoratos,
atram etjam bilis injurias admodum sentiant.

(a) Vid. *Lettres Persanes de Mr. Montesquieu p. m. 128.*

§. XIII.

Sicut divitiae a multis habentur instrumenta felicitatis ac commoditatis suæ promovendæ; ita spe easdem obtinendi nullas illi fugiunt molestias, nec ulla exhorrescant pericula; sed quo majores præsumuntur opes, & quo celerior ad earum fruitionem patere videtur accessus, eo majori ardore & contentione eas sibi vindicare student. Atque hinc procul dubio arcessenda est cauſa, quare nonnullorum animi oculique mole præpositæ pecuniarum summæ ita perstringantur, ut cum manifesto vitæ ac salutis dispensio compendia opum per ludos aleæ quærere non dubitant. Stupendum hujusmodi casum, quem nunc attulisse non pigebit, alicubi legimus. Intersuit juvenis societati, in qua plures ludendo suam experiebantur fortunam; ipse autem ut spectator tantum aleæ primum adstitit; sed quum summa inter certandum valde increvisset, antequam charta extraheretur decretria, dum cuilibet præsentium ex denuntiatione thesaurarii relinquebatur potestas, suam experiendi fortunam, juvenis memoratus se continere non potuit, quin in ambiguum, quæ aperiebatur, descenderet arenam. Quum autem probe sciret, se solvendo minime esse parem, si charta extracta sibi non faveret, nec ignoraret,

raret, quod propter æs hoc modo contractum, vel in perpetuum includeretur carcerem, vel remis manciparetur, ad fenestram accessit, eamque aperuit, per hanc ex superiori ædium parte, ubi ludebatur, in profluentem torrentem, si quid adversi accidisset, se se präcipitatus. En quo sacra auri fames multos rapit, qui vitam ipsam divitiis, voluptatum suarum instrumentis, postponere, sibi non ducunt religioni. Dubium autem est, an tales secum habitent, præfertim cum temeritas usum rationis impedit. Denique cum Polydorus ludos, ut rem maxime feriam, tractet, examen vitae suæ vix unquam instituit; quare, dum æstus aleatorius ipsum detinet, Deum, seipsum & alios homines parum curat. Ex quibus omnibus, in medium jam allatis, concludimus, quod cum homines per ludos, in tot vitiorum devia, quot vidimus, incident, & eorum dulcedine fascinati ex uno extremo in aliud prolabantur, nemo eisdem se fuasque opes committat, cui integra conscientia suaque salus curæ cordique sint.

§. XVI.

Porro si influxum aleæ in statum œconomicum attentis oculis animisque consideremus, funestissimum eundem esse inveniemus. Ad familæ enī florem necessarium est, ut singula justo ordine peragantur negotia, atque ita administrentur, ut accepti & expensi rationes sibi constent. Enimvero si vel pater
vel

*) ii *

vel mater familias in ludos aleæ propendeat, eisdemque toties, quoties sese offerat, occasio, interfit; plane ignoratur, quantæ sint familiæ illius facultates; qui enim hodie crumenas pecuniis distentas possidet, brevi post easdem per aleam penitus exhaustas reperit. Oportunitati igitur res necessarias minimo, quo fieri possit, pretio sibi comparandi non inservit aleator, lætus si in diem modo vivere possit. Docet etiam experientia, quod dentur patres familiarum, qui ludos aleæ ita deperiant, ut, vīlis forte chartis lusoriis, nuncupata in horum execrationem vota temere negligent, sui suorumque obliviscantur, & aleæ fortunam rursum experit tanto magis cupiant, quod pecuniæ summam collegerint, adeoque solvendo sint pares. Ad abacum igitur lusorium nec volentes, nec prorsus nolentes accedunt, a quo post varias fortunæ vicissitudines non prius recessunt, quam laborum & industriæ stipendia dissiparunt. Ad uxores igitur & liberos adflictos ac necessaria vitæ adminicula extensis brachiis poscentes, hinc nimium leves redeunt, quorum miseriam sua ex infelici ludo contracta animi ægritudine non minuunt, sed opum & consiliorum inopes saepe augent? Alius, cuius præcordia ex simili ficta sunt luto, accepit pecuniæ summam, quam hospiti suo, cui jam per annum & victum & alia vitæ commodioris præsidia debet, destinat, sed antequam ex condicto fieri debet solutio, adducitur in societatem hominum, delectationis causa congregatorum; a quibus invitatur, ut per ludum aleæ horas aliquot fallat. Hæret suspensus quid faciet?

faciet? Si oblatam acceperit conditionem, potest sum-
mam, quam secum attulit, vel augere vel amittere; si
socialiter vivere detrectaverit, vereretur, ne pro ho-
mine sordido habeatur, & cireo tot egregiorum ho-
minum excludatur. In ancipiti hocce casu cedit suis
adfectibus & cerebrinæ honestati, atque tamdiu char-
tas vel tesseras versat, donec tantum, quantum attu-
lit, debeat. Quocirca in mente hujus debitoris novus
exoritur scrupulus, cui in solvendo ære contracto,
cum utriusque non sufficient pecuniæ, primas deferet,
vel suo hospiti, vel aleæ sociis? Ratio dictitat, hospi-
tem tanto magis esse præferendum, quod non solum
tempore sit prior, sed sine ipsius auxilio necessaria
multa vitæ adminicula desiderasset debitor. Attamen
rationem suam conticescere hic jubet, & solvit pro-
tinus aleæ sociis, causatus, quod æs ad abacum aleato-
rium contractum ex honesta inter homines politio-
ris ordinis recepta consuetudine e vestigio sit solven-
dum. Atque hoc modo aleator sit improbus civis, ut
probus habeatur fodalis.

§. XV.

Auget gravitatem ludorum memoratorum, quod
aleatores in societatem suæ, saepe non immeritæ, ca-
lamitatis interdum rapiant personas, optime de se me-
ritas. Effectus temeritatis aleatorum quotidie fere
cernimus funestissimos. Antiquam eandemque illu-
strem familiam, quæ ex pluribus suis prædiis insignes
quotan-

quotannis fecit redditus, quibus avitum gentis suæ splendorem conservavit, vel societatem mercatoriam, quæ artes & commercia promovendo, & suas & patriæ opes admodum auxit, opinione citius ad incitas redigit filius aut nepos, qui in opulentiae sinu educatus, nihil magis quam suas voluptates, quas in ludo aleæ invenit præcipuas, curat. Contracto enim æri solvendo quum annui non sufficiant redditus, illinc a vita prædia, hinc metallifodinæ, naves & fabricæ hastæ subjiciuntur publicæ; adeo ut ea nomina, quæ totidem fidei pignora haud ita pridem fuerunt, infidæ deinceps habeantur maleæ. Ut cunque autem gravis sit hæc jactura respectu familiarum & societatum, quæ eam perferunt, illam tamen minus sentit respublica, si tantum in ære civium suorum fuerit aleator; in malo autem hujus societatem venit integra civitas, si in exteris regionibus patrimonium suum atque stipendia ipse disperdat. Cristas tamen nonnunquam tollit aleator, & egregie se rem suam egisse venditat, quod patriæ honorem suis opibus apud exterios promotum iverit. Sed quum hæc jactantia sit æque vanæ, ac ludus aleæ, cui opes suas exposuit, fuit temerarius, homines enim ex probis factis, non autem ex divitiis a Majoribus quidem relictis, sed ab ipsis leviter dissipatis aestimantur, hanc etiam imprudentiæ poenam fert aleator, ut odio ab iis habeatur, quorum erumenas, donee aleæ fortuna ipsi favit, exhausit, & insuper in sua miseria irrideatur ab iis, quos præter suam ditavit opinionem. Magna hæc esse infortunia,

tunia, quæ per ludos aleæ familias affligant, cordatus quilibet agnoscit, sed quod eadem adhuc esse possint majora, tristis docuit experientia, qua constat, quosdam horum ludorum fascino ita fuisse correptos, ut cum nihil amplius ipsis suppeteret, uxores & liberos suos aleæ exposuerint. Ex quibus omnibus patet, vix quidquam dari, quod familias in ultimam miseriā citius aut profundius detrudat, quam ludum aleæ, qui usum rationis in hominibus magis sequestret, quam famosa inter veteres pocula Ciræa.

§. XVI.

Vidimus modo, quantam noxam per unius culpam tam familiis, quam societatibus vel adferant, vel adferre possint aleæ ludi, dum hi non solius delectationis, sed lucri potissimum causa frequentantur; qui praeterea integræ civitati valde nocent, si viri illustres, qui in præcipuam negotiorum publicorum curam veniunt, ab eorum illecebris non abstineant. Sic ut enim nihil alea est incertius; ita rationes aleatorum raro sibi constant; quare qui Attalicas fere possident opes, paulo post necessaria tam vitæ, quam dignitatis tuendæ adminicula desiderabunt. Si in exterris constitutus terris, ubi Regis sui mandata & patriæ salutem procurare tenetur, legatus in has incidet angustias, multas occasiones egregie quid in patriæ felicitatem agendi intermittet, multaque saepe indigna patietur, præsertim si negotium ipsi fuerit cum credi-

*) 15 (*

ereditore vel moroso vel callido. De Galliae Rege
LUDOVICO XI memoriæ produnt annales, quod Re-
gis Angliae Ministris, quos exiguis frui stipendiis co-
gnoverat, magnas pecuniarum summas concefferit,
nec aliam ab illis solutionem, quam chirographa in fidem
accepti postulaverit; quibus receptis, hos sibi magis,
quam Regi, qui eos miserat, reddidit devotos. Equis
autem dubitat, quin eadem propemodum scena cum mi-
nistro, qui in ludum aleæ nimis propendet, etiamnum
ludi queat? Præterea quum rerum minimarum in
felicitatem publicam maximus nonnunquam sit influ-
xus, accidere potest, ut propter ludos Legatorum Natio-
nes ipsæ labyrinthis diffensionum, quin etiam bellorum,
ex improviso implicitentur. Ficta in præsentem rem non
loquimur; memoria enim non excidit, quid in Hispania
non multis abhinc lustris contigit, scilicet ut legatus huc
missus, quod ludis aleæ impotenter uteretur, & metropoli
& regno propediem exire juberetur. Quod vero nul-
la hinc existiterit malorum feges, id partim fatorum be-
nignitati, partim ipsorum Principum humanitati erit
adscribendum. Alia vice diffensionum scintillas, in aba-
co lusorio excitatas, in gravissima bellorum incen-
dia erupisse, constat. Ita, ut alia reticamus exempla,
Scriptor Gallicus: *Notre Histoire nous fait voir, que Robert & Henri, enfans de Guillaume le Conquerant, étant venus visiter le Roi Philippe Prémier à Conflans sur Oise, & s' étant mis à jouer à l' Echiquier avec Louis le Gros fils du même Philippe, ils s' échauffèrent tellement à ce jeu, que se querellant ils en vinrent aux mains.*

maisons. Notre Louis nomma Henri fils de bâtarde, celui-ci le frappa de l' Echiquier, & l' eut peut-être tué, si Robert son frere ne l' en eût empêché. Les Normans se sauverent après cela chez eux; mais ce fut l' origine de quatre cens ans de guerres, qui continuèrent depuis entre eux & nous. Le second exemple sera étranger, & d' un pais, qu' on peut nommer l' ausdre monde. L' Inca Manco jouant aux quilles avec des Espagnols, qui s' étoient refugiés vers lui, l' un d' eux nommé Gomez Perez prit querelle avec ce Prince, & le tua d' un coup de quille sur la tête; ce qui porta les Indiens à faire perdre la vie à tous ces Espagnols (a).

(a) Vid. Oeuvres de la Mothe de Vayer Tom. V.
Part. II. p. m. 251.

§. XVII.

Ne autem quis existimet, quod Philosophiam nimis umbraticam sapiant illa, quæ a nobis allata sunt, argumenta, & quod aliter sentiant viri, qui in populorum luce versantur, hos etiam consulere juvabit, ita tamen ut elegantiarum magistros, turbam nimis levem, prætereamus, & eorum adferamus sententias, quibus propter perspicaciam, probitatem ac dignitatem censorium merito competit munus. Proletariam esse Aristotelis Philosophiam multi quidem nunc existimant, sed quum vastam ipse rerum civilium peritiam habuerit, nec leviter & præter rationem quidquam adseruerit, dignus est, qui in hoc argumento audi-

audiatur, *Ipse autem aleatores, fures & latrones ejusdem esse furfuris censuit (a).* Quantum Cicero ludos aleæ improbaverit, supra a nobis fuit observatum. Quum gravitas Spartana in austoritatem ferme abierit, nec illos ferre potuerunt Lacedæmonii, qui ludis aleæ bona sua exponerent. Relatum igitur legimus, quod cum legatus quidam hujus civitatis Corinthum missus esset, vidisset autem reipublicæ hujus senatores ludis aleæ sese exercentes, infecto hinc discesserit negotio, quod turpe ac periculoseum Lacedæmoniis duceret, cum istiusmodi lusoribus fœdus & amicitiam inire (b). Quando Svetonius vitam Imperatoris AUGUSTI a se consignatam exhibit, atque in ista tabula tam virtutum ipsius lumen, quam vitiorum umbram scite depingit, ad hæc nimiam ejus in ludos aleæ proclivitatem refert: *aleæ, inquit, rumorem nullo modo expavit, lusitque simpliciter & palam oblectantici causa, etiam senex, ac præterquam Decembri mensis, aliis quoque festis profestisque diebus.* Adfert adhuc epistolam Imperatoris ad Tiberium datam, in qua scribit: *lusimus per omnes dies, forumque aleatorium calcificimus - - - Ego perdidii viginti millia nummum meo nomine (c).* Et quum insequentes Romanorum Imperatores satis animadverterent damna, quæ ex ludis aleæ in rempublicam redundant, toti etiam in id incubuerunt, ut his, inter cives suos magis magisque in gravescentibus, firmissima opponerent repagula. Sat satis igitur non habuerunt, aleotoribus pœnam proposuisse, sed quum scirent, plerosque lusores studio per-

temerarium hocce compendium suas augendi opes, statuta optima eludere, spem ipsis præripuerunt sumam pecuniarum aleæ expositam, tam obtinendi, quam forte obtentam retinendi. Unicuique enim, cuius vel ex cognatione vel ex officio intereat, facultatem concedebant valide repetendi quod amissum erat, ceu ex jure Romano colligere licet. Perhibent etiam annales Ecclesiastici, quod veteres Christiani lusum aleæ pro invento habuerint diabolico, atque in actu baptismali nominatim alearum otio his verbis renunciaverint: *Abnuncio rapinis, alearum otio & tabularum lufui (d).*

(a) *Vid. Lib. IV. Ethic.* (b) *Vid. Lambert. Dænaeus de ludo aleæ Cap. 7.* (c) *Vid. Cap. LXXI.* (d) *Vid. LUDOV. DUNTE casus Conscientia p. m. 322.*

§. XVIII.

Enimvero haud opus est, ut ex antiquitatis sinnententias quasdam de moralitate ludorum aleæ de promamus; iis vivimus temporibus, quibus Europæ Principes aliique eximii viri plura quotidie dant ~~q̄m~~
~~et q̄m~~ exempla, quam fortitudinis specimina veteres ediderunt Heroës. De Magno Comite DE FALKENSTEIN, seu Imperatore Rōmano Germanico JOSEPHO II relatum legimus, quod cum in peregrina eademque splendidissima Europæ aula, quam invisit, ad ludum chartarum invitaretur, responderit, se, quod pecunias non haberet, in societatem venire non posse:

se: attonitis ad hanc excusationem adstantibus, suam ita explicuit mentem: Pecuniæ, quas habeo, non meæ, sed meorum sunt civium, qui easdem administrandas mihi tradiderunt; fas igitur non est, ut ego fortunæ arbitrio leviter committam depositum, quod cives mei non sine multo sudore & labore mibi compararunt. Augusto huic responso confusa est alius viri probitate magis, quam dignitate conspicui, in pari causa excusatio: Habeo, inquit, centum aureos, nolo autem summam hanc aleæ exponere, fieri enim potest, ut eam perdam, quo facto opitulari non possem amico, vel alii bene merito, parem summam a me in sui conservationem cras forte petenti. Cur aliquid hodie tentarem, cuius me propediem vehementer pœniteret? Non tam hominum, quam potius humanitatis hos esse vitæ canones, forte non præter meritum dici potest.

§. XIX.

Antequam disputationi huic de moralitate ludorum aleæ finem imponimus, paucis erit dispiciendum, quo loco hos inde ab antiquissimis temporibus Gens Scandinica habuerit. De antiquis Germaniæ incolis memoriae prodit **TACITUS**, quod in ludos aleæ nimium quantum propenderint. *Aleam, inquit, quod mirere, sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut cum omnia defecerunt, extremo ac novissimo jactu de libertate & de corpore contendant. Vicitus voluntariam*

tariam servitutem adit, quamvis junior, quamvis robustior, alligari se ac venire patitur (a). Quamvis autem Scandinavia nostra Germaniae nomine ab antiquis Historicis subinde comprehendatur, nullo tamen constat documento, veteres Gothos in parem cum Germanis Iudendi vecordiam fuisse prolapsos; contra ea docent annales, ipsos cum mala quævis potius, quam servitatem perpeccios, tum etiam hominibus, delectationi tantum inservientibus, nullum statuisse pretium (b). Tradit Olaus Magnus, Gothos adhibuisse ludos aleæ ad explorandam animorum in procis indolem (c). Negandum forte non est, quod unus alterve procerus isthoc artificio leviter prodiderit, in quantum suis imperare posset affectibus; sed quum vix ulla hujus consuetudinis exempla in antiquis historiis, quæ res minimi momenti sesquipedalibus non raro describunt verbis, occurrant, morem hunc nec generalem fuisse opinamur. Postquam autem priorum temporum simplicitatem Unio exceperisset Calmariensis, qua periodo, Svecis admodum fatali, exteri contra fidem a Principibus datam ad supremos honorum gradus in patria evehebantur; factum est, ut illi privatum luxum ex publica alerent miseria, ludosque aleæ frequentiores redderent. Quare in jure aulieo tam Reginæ Margarethæ, quam Regis Erici Pomerani gravia in aleatores edicta occurrunt. In jure Municipalí Titulo de furto proxime annexitur Titulus de ludis aleæ (Dobblara Balker); per quam constitutionem nemini conceditur facultas ultra unam marcam ludorum discriminii exponendi,

* 21 *

secus faciens gravi multaretur pœna; adeo, ut aleatores, in magnum periculum sine pari ditescendi spe fese conjicerent. Præcipue litterarum alumnis interdictus est ludus aleæ, ex tenore Constitutionum Academicarum (*d*). Quæ singula statuta tam ~~areatæ~~, quam rigore superant binæ constitutiones Reginæ gl. m. ULRICÆ ELEONORÆ, Stockholmiae d. 12 Novembr. & 5 Decembr. 1719 datæ, dignissimæ omnino, quæ integræ legantur; ut alia edicta brevitas caussa nunc prætereamus.

(*a*) *De moribus Germaniæ Cap. XXIV.* (*b*) *Vid. ÖftG. Lag. DrapB. 18. Cap. §. 1.* (*c*) *Vid. Histor. de Gentibus Septemtr. Libr. XV.* (*d*) *Cap. XXIII. §. 18.*



